

quam publica in societate hominum utilitas peperit: vel de dæmonibus, tam malis averruncandis, quàm bonis alliciendis.

6 Pseudochristianorum varia est, prout scilicet. variæ & multiplices sunt hominum hæreticæ & in fundamento aberrantes assertiones.

7 Christianorum sunt particulares horum vel illorum errores, aliquando graviores, aliquando etiam leviores.

8 Vera Theologia est rerum divinarum sapientia.

9 Estque vel archetypa, nimirum infinita, essentialis & omnimodò divina sapientia, quam Deus habet de se ipso, rebusque omnibus, ut sunt ad ipsum necessariò, propriè & per se relatione perpetuâ ordinatæ, secundùm rationem infinitam ipsius: hanc nos adoramus, non investigamus: vel ectypa, per gratiosam communicationem ad exemplar illius expressa.

10 Ectypa hæc pro diversitate subjectorum & modorum quibus communicatur à Deo, triplex est: *unionis*, communicata cum Christo *θεωθεώπω* secundùm humanitatem ejus *a*: *visionis*, communicata cum angelis secundùm beatam visionem eorum, quâ perfruuntur in coelis *b*. *Revelationis*

*a Col. 2. v. 3.*

*b Matth. 18. v. 10.*